



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

II. Pontifices Romani in suas partes olim trahere studuerunt Episcopos magnarum civitatum, variis quidem modis, sed in primis spe objecta principis loci. Initium factum ab Episcopo Thessalonicensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

consecrassem. Molestè tamen nonnulli ferebant datum esse imperfectum, ac tamenetsi monuissem jacturam illam utcumque sarciri ope libri sexti, indicatis etiam locis unde reliqua petenda erant, malebant tamen ut heic suis quæque locis capita redderentur. Hinc consilium mihi, ut si minùs assequi possum divinam vim ingenij illustrissimi Archiepiscopi, certè sequi coner, destinataque ejus exequar pro virium mearum modulo.

I. Agendum itaque nobis deinceps erit de Vicariis Romanæ sedis per varias Diœceses, illis nimirum qui velut hereditario jure vices apostolicæ sedis in iis regionibus obtinebant in quibus habitabant. cujusmodi fuere Theffalonicensis in Illyrico, Iustinianæ primæ Archiepiscopus in sex provinciis, Corinthius in Achaia & Hellade, & Arelatensis in Gallia. Tum de iis Episcopis quibus ea dignitas diversis temporibus tributa est contemplatione meritorum, cujusmodi fuere Ioannes Episcopus Tarraconensis & Sallustius Episcopus in provincia Bætica. Horum autem vicaria Episcopi Romani dignitas in eo diversa fuit à vicariatu Episcoporum Theffalonicensium & Arelatensium, quòd sicut illa sedibus affixa erat, ista personalis tantùm fuit, ut patet ex epistolis Hormisdæ Romani Pontificis ad ipsos datis. Agendum heic esset de Pallio, quo Vicarij illi ornabantur ad augendam Romani nominis majestatem. Sed hanc partem adeo perspicuè & eruditè executus est illustrissimus Archiepiscopus in capite sexto & septimo libri sexti, ut ope nostra nequaquam indigeat. Nonnullas tamen circa hoc observationes meas & ipse proferam, quas ille non tam omisisse quàm mihi reliquisse censendus est. Gradu postea factò ad mediæ ætatis usum, ostendemus quantum Legatis Romanis detulerint Episcopi Galliani sub secunda & tertia Regum nostrorum dynastia, & quibus mandatis instructi Legati ad synodos provinciales accederent. Eorum frequentia, & tandem defuetudo. De Facultatibus examine in Curia antè quàm munere suo fungantur. Tum de Annatis instituenda esset quæstio juxta mentem illustrissimi Archiepiscopi, nisi ipse hanc quoque partem pro sua sapientia & eruditione implevisset in capitibus x. xi. xii. ejusdem libri sexti. Nunc ad rerum ordinem redeo.

II. Pontifices Romani, cùm intelligerent quanti momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud exteras gentes, id est, ab Vrbe procul distitas, gratia Episcoporum illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prærogativam urbium præsto quoque erat Principum favor, eos in suas partes trahere studuerunt variis modis atque rationibus. Sed

Tom. II.

nulla potentior antiquitus visâ est quàm si Episcopos illos ornarent dignitate Vicariorum sedis Romanæ, ut, quia constabat Romanum Episcopum sedere in cathedra principali sedemque Petri tenere, qui princeps fuit Apostolorum & caput episcopalis coronæ, magnum honorem sibi ex eo tribui intelligerent Episcopi illi quòd beati Petri vicem gererent in suis Diœcesibus. Hanc Romanis Episcopis mentem tum fuisse & res ipsa ostendit, & apertè docet epistola sexta Vigiliij ad Episcopos Gallia de vicariatu Auxanij Episcopi Arelatensis, his verbis: *Necessarium valde credidimus sollicitudinem hanc a nobis antefato (Auxanio) debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis actibus universa qua Deo placeant posse complere, & maxime cùm gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientie pro Christiana sua voluntatis devotione perhibuit.* In quo sanè mirifica valdeque prudens fuit Romanorum Pontificum industria: qui, ne vicariatus apostolicæ sedis vilesceret, si humilium urbium Episcopis committeretur, vices suas non aliis per ea tempora concesserunt quàm Episcopis illustrissimarum Ecclesiarum, quorum aliunde magna apud gentes ac Principes auctoritas erat; donec firmata tandem Legatorum istiusmodi dignitate, majestatis Romani nominis interfuit etiam simplicibus Clericis aut monachis, id est, nullo vixdum facinore cognitis, nulla ecclesiastica dignitate præditis, hunc honorem tribuere. Quod maximè observatum video temporibus Leonis IX. & sequentium Pontificum usque ad Innocentium quartum. In universum autem affirmare licet Romanos Pontifices, ut semper ad occasiones explicandæ firmandæque auctoritatis suæ valde intenti fuere, sic tempore semper bene usos esse antiquitus. Et quia primus omnium, ut arbitror, Episcopus Theffalonicensis ea dignitate ornatus est, ejusque vicariatus variè jactatus est ab hominibus eruditis, hinc ordiar.

III. Ac primùm quidem illud in antecessum statuendum est, Occidentis Ecclesias, atque adeo Illyricianas, pertinuisse ad specialem curam Romani Pontificis, non solum ob principatum quem Romana sedes obtinet in Ecclesia universali, sed quòd Episcopus Romanus sit Patriarcha Occidentis. Nam olim solidum Illyricum accensebantur Occidenti; ut dictum est in libro primo istius operis, & constat etiam ex Socrate & Sozomeno. Itaque certum est Illyricianas Ecclesias apostolicæ sedis constitutis paruisse, eamque ut Ecclesiarum caput excoluisse. Quin & Theodosius Echinienfis Episcopus Theffalix provincix hæc ad Bonifacium Papam

Vide supra lib. 1. cap. 4. §. 3. 4.

Socrat. lib. 1. cap. 16. Sozom. lib. 3. cap. 9. Vide etiam Henr. Valesij Notas ad Socrat. pag. 64. Vide infra cap. 10. §. 10.

G